



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Bona Volvntas Optimæ Consentiens. Seu De Sequendo In  
Omnibus Ductu Providentiæ Diviniæ**

**Foullon, Jean E.**

**Leodii, 1657**

VII. Ita Beati agunt.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54992](#)

roribus tuis gloriæ suæ fructum, sed tu illum non produxeris: pro ducturus tamen, si is esse maluisses, quem te destinârat, quâm quem te fingebras.

VII. Inter Beatos Angelos & homines magna est, quemadmodum

*Ita Beati agunt.* meritorum, ita & graduum ac beatitudinis inæqualitas. Summus Seraphinorum longè perfectius Deum cognoscit & amat, adeoque & perfectius laudat, quâm ejusdem ordinis medius: & hic perfectius infimo, ac sic deinceps. In hac varietate non tantum nulla est invidia, quia unum volunt, unum nolunt, unitas est mentium: sed neque ullum est desiderium, alio gradu aut ratione Deum glorificandi, quâm singuli locis suis faciant. Incidat fortè hæc cogitatio: nonne si in altiori sim beatitudinis dignitate, in clariori lumine, plus Deum laudem, quam numc? Illicò sibimet responderit Beatus: Deus hîc me esse voluit: vult autem Deus gloriam suam: ergo ex ejus gloria est, sic me esse. Eâdem cogitatione Beatus non modò nollet esse major, sed neque

que vellet peccata sua nesciri, erroresque,  
quorum causâ amplior ipsi merces dona-  
ta non est: quia ex eorum notitia Dei mi-  
sericordis honor existit. Ut jam mirum  
non sit, Angelis perinde esse, quid in  
Universi rerum singularium gubernatione  
agant, dum id agant, quod Deus  
vult. Tanti est Custodi genio infantis  
pauperculi curam gerere, quanti cælum  
inexplicabili perniciitate rotare, exercitus  
ducere aut fundere, populis & imperiis  
custodiendis præesse. Cùm enim unam  
Dei gloriam pectent, eamque in Dei vo-  
luntate sitam esse sciant, nil aliud velle  
debent, quam Deus velit.

VIII. Si ea consideratio nimis ad  
*Sacrificium voluntaris.* Theologiam mysticam videtur  
pertinere, & altioris esse inda-  
ginis: familiarem magis & obviam sug-  
gero. Ille Deum maximè glorificat, qui  
nobilissimum ipsi offert sacrificiorum  
omnium. Nil autem est in homine nobi-  
lius voluntate, nil altius, nil liberius, nil  
vaustum magis & capax. Domina est  
facultatum omnium, cíque intellectus  
ipse,